

Franz Wolf Gilbert Leiding

Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Decima, De Morte Aeterna, opposito Vitae Sive Beatitudinis Aeternae

Rostochii: Richelius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740903179>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 30.Dez. 1696

Wolf, Francisco */e*

I. N. J. (S)

COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATORII,

DISPUTATIO DECIMA, 282

DE

MORTE ÆTERNA,

oppoſito

VITÆ SIVE BEATITUDINIS
ÆTERNÆ,

Qvam,

adſpirante DEI T. O. M. gratiâ, conſenſu

Pl. Rev. Facult. Theol.

PRÆSIDE

FRANCISCO WOLFIO,

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,

Paſtore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examine

IN ACROATERIO THEOLOGORUM

ſubjecturus eſt

GILBERTUS LEIDING,

Hamburgeniſis.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

Anno 1696. d. 30. Decembr,

K

1696



§. 1.

pposita juxta se posita cum alias clarius soleant elucescere, &, qui felicitatis aeternae voluptate non permouentur, ii tandem metu certissimarum & quidem aeternarum poenarum dediscant peccare, & ad saniora consilia reuocentur, cum alium ab his statum post mortem Scriptura ignoret, Joh. V. 29. Dan. XII. 2. proximum à beatitudine aeterna non immerito assignamus locum articulo de morte seu damnatione aeterna, quæ, quatenus poenam damni continet, vitæ aeternæ privativè, quatenus vero poenam sensus dicit, eidem contrarie opponitur;

§. 2. Uti autem beatitudo aeterna erat status omnium bonorum aggregatione perfectus, ita hic status ei oppositus erit omnium malorum aggregatione miserrimus & calamitosissimus. Dicitur alias mors secunda Apoc. II. 11. & alibi, quia primam mortem & corporis & animæ demum sequitur. Prima mors corporis consistit in separatione animæ à corpore, & dicitur mors naturalis, prima mors animæ consistit in separatione DEI gratiosè inhabitantis ab anima, & dicitur mors spiritualis & gratiæ, item mors peccati. Secunda igitur hæc est, quæ utramque primam sequitur. Dicitur etiam mors aeterna, quia ab ea nunquam dabitur regressus ad vitam. A morte naturali dabitur regressus ad vitam in resurrectione mortuorum. A morte gratiæ dari potest regressus ad vitam spiritualem, per regenerationem & conversionem, quæ dicitur resurrectio prima Apoc. XX. 5. 6. Sed ab hac, quæ dicitur mors aeterna, nulla unquam dabitur resurrectio ad vitam gloriosam, quæ consistit in unionem DEI gloriosa cum homine per DEI visionem beatificam & intuitivam obtentâ. Denique, cum vocatur damnatio aeterna, vox damnationis non significat actum damnationis judiciale & transitorium, pronunciationem sententiæ definitivæ condemnatoriæ absolvendum juxta Matth. XXV. 41. sed potius statum per executionem illius sententiæ sine remissione & sine continuantem Apoc. XIV. 11. Marc. IX. 44.

§. 3. Impietati post mortem poenas esse paratas vel saniores Ethnici agnoverunt, & ex justitiæ divinæ immutabili constantia colligi potest per lumen naturæ, grassante sapius felicissima & impunita hominum ad finem usque vitæ hujus improbitate. Scriptura vero sacra in denuncianda hac impoenitentibus poena nil poterit esse clarius vid. Dan. XII. 2. Matth. XXV.

46. Hinc cordate Polycarpus Consuli vivicomburium minitanti : Tu inquit, ignem minitaris brevi arsurum, mox exstingvendum ; ignoras enim ignem futuri iudicii aeterno impiorum supplicio reservatum Euseb. H. E. lib. 4. c. 15.

§. 4. Sicuti autem beatitudo aeterna juxta §. 3. praeced. disput. complectebatur duo (1) immunitatem ab omni malo (2) cumulum omnium bonorum ad perfectam felicitatem requisitorum : ita ex opposito mors aeterna ambitu suo comprehendit (a) tristissimam omnium bonorum ad perfectam felicitatem requisitorum privationem (ß) omnium dolorum & miseriarum cumulum.

§. 5. Hinc omnium primo damnati ex parte intellectus privabuntur beatifica DEI visione, à facie DEI separati, & lumine gloriae, quae beati gaudent, penitus destituti. Unde jubebuntur à Christo discedere Matth. VII. 23. Matth. XXV. 41. aeternum exitium passuri à facie Domini 2. Thess. I. 9. nec visuri sunt vitam Joh. III. 36. Exprimitur etiam voce desertionis sive derelictionis Luc. XVII. 34. Videntur huc etiam referri posse tenebrae exteriores sive extremae, nempe animi etiam, in quas sunt conjiciendi Matth. VIII. 12. Matth. XXII. 13. Neque vero haec est privatio nuda aut exigui momenti, sed aestimanda ex forma opposita, cujus absentiam sive carentiam dicit, nempe est privatio possessionis perfectissimae summi boni intime praesentis, quae & ipsi, nisi se propria culpa indignos fecissent, cum sanctis in aeternum beari potuissent, conjuncta cum desperatione ejus unquam in aeternum potiundi. Ipsam quidem potentiam, quae DEus posset videri, habebunt, sed DEus tanquam summum bonum potentiae illi cognoscendi non erit intime & immediate ut objectum videndum praesens, nec lumine gloriae collustrabitur.

§. 6. Et quia ex intuitiva visione & possessione summi boni in beatis orietur ex parte voluntatis amor intensissimus, ita mors aeterna ex parte voluntatis damnatorum importat privationem illius amoris, qui ex cognitione perfectissima summi boni fuit, praesertim cum DEum cognituri sint, non ut summum bonum suum, sed tanquam judicem severissimum & peccatorum suorum vindicem iustissimum.

§. 7. Perinde uti ex summi boni perfectissima possessione redundabat in beatos gaudium super hac felicitate ineffabile : ita ex privatione aeterna summi boni non potest non resultare privatio gaudii hujus, quo satiari potuissent. Unde comparant infernum cum cisterna illa, in qua nullae sunt aquae Zach. IX. 11, id est, nullum refrigerium, gaudium nullum, voluptas nulla.

§. 8. Dotibus etiam illis, quibus beatorum corpora fulgebunt, ut vid. disp. nona à 17., damnatorum destituentur. Privabuntur itaq; subtilitate, agilitate, impassibilitate, claritate & splendore; quid enim luci cum tenebris, in quas conjicienda erunt, commercii? quis agilitatis & impassibilitatis usus, cum in carcerem compingenda, unde nullus exitus, ubi perennaturi & aternaturi cruciatus. Incorruptibilia quidem & corpora damnatorum sunt futura, caterum non ut beatorum ex spiritualitate sua in præmium, perfectionem & gloriam, sed potius in miseriæ & poenæ augmentum, ut in æternum cruciari queant.

§. 9. Deniq; privabuntur damnati consortio sanctissimorum Angelorum & hominum beatorum Matth. VIII. 11. 12. carebunt felicissimo illo habitaculo, quo beati gaudebunt, destituentur etiam omni spe exauditionis votorum, commiserationis, solatii & liberationis Luc. 16. à v. 23. & hinc desperabundi, ne quidem mortem, licet quærant anxie, invenient Apoc. IX. 6. Apoc. VI. 16. 17.

§. 10. Has damni poenas ingentibus accessionibus augebunt variæ poenæ positivæ, quas sensuum vocant, dolores nempe atq; exquisitissimi cruciatus, quos in animabus pariter atq; corporibus experientur damnati.

§. 11. Ex parte intellectus torquebit eos cognitio quidem DEI, sed abstractiva ex effectu & poenarum acerbitate hausta. Cognoscent, intolerabile hoc, quod patiuntur, supplicium sibi irrogari à DEO infinito, sibi iratissimo, propter gravissima in ipsum peccata commissa, sine spe futuræ reconciliationis, tanquam scelerum iudice justissimo & vindice severissimo, seque ipsos hujus suæ infelicitatis, quam facile evitare, modo voluerint, potuissent, per obstinatum impoenitentiam fuisse architectos Apoc. VI. 17. Videbunt etiam DEum ut Patrem benignissimum & misericordiarum, verum non sibi unquam futurum, sed solis beatis æternum nunc felicissimis Luc. XVI. 25. Sap. V. à v. 1. adeoq; nullo suo solatio, sed ut morsibus conscientiae ex horum conspectu eo gravius lancinentur & excrucientur Sap. V. à v. 2.

§. 12. Ex parte voluntatis (1) inexplicabilis eos de præsentis & in æternum duratura sua miseria pertentabit tristitia stultitiæ suæ nunc incorrigibilis detestatrix Sap. V. à v. 4. (2) Augebit hanc infelicitatem summum illud odium, quo ferentur partim in DEum sibi adeo insensum & implacabilem, cujus vel aspectum averfabuntur Apoc. VI. 16. 17. partim in se ipsos tantorum malorum pararios, qui se ipsos accusaturi erunt Sap. V. à v. 4. (3) torquebunt illos invidiæ stimuli ex aliena felicitate cognita impacti testibus ipsis Sap. V. à 3. (4) turbabuntur timore vehementi, & stupebunt de insperata beatorum salute, dolebunt, & præ angustia spiritus gement Sap. V. 2. 3. conf.

conf. Rom. II. 9. (5) deniqve accedent ex malorum circumvallantium & opprimentium agmine impatientia, desperatio, desiderium mortis Apoc. IX. 6. si vel per sui destructionem finem malorum invenire qvirent: ex quibus voluntas ipsorum ad malum determinata non potest non in DEum peccare, licet non impune, nec cum delectatione, quam in hac vita mali percipere ex peccatis solent, ubi poena non excipit ilico peccatum: nam in eodem quo peccant momento simul peccati hujus acerbissimam inunt poenam, indefinientes patiuntur angores ex incumbentium poenarum acerbitate.

§. 13. Ratione corporis omnes omnino sensus, omniaq; corporis membra suos experientur cruciatus, cum justitiæ divinæ congruum videatur, ut organa peccatorum ministra etiam poenarum fiant focia. Unde probabile putant nonnulli oculis per medium interjectum subobscurum observaturos miserabiles damnatorum gestus, varia suppliciorum genera, varias diabolorum oberrantium species: auribus molestissimos & gravissimos fore cruciatorum gemitus, & ululatus, admittis dentium inter se collisorum stridoribus Matth. VIII. 12. Matth. XXII. 13.: odoratum sulphureis teterrimisqve foetoribus è stagno sulphuris exhalantibus Apoc. XXI. 8. infestandum: gustum saporis foetidos & ingratos passurum, sitimq; intolerabilem, quæ tamen alii parabolice & metaphorice intelligunt vid. Gerh. L. de inferno §. 71.

§. 14. De tactu præcipue quæri solet utrum igne infernali & quidem proprie dicto corporeo sit excrucandus? Quidam malunt per ignem intelligi metaphorice dolores quoscunq; exquisitissimos cruciatusq; damnatorum; alii vero intelligunt ignem proprie dictum, forte tamen alterius à nostro igne rationis, qui agitatione vehementissima particularum suarum corpora eorumq; compagem dissolvit & divellit, cum Scriptura toties vocet ignem, & præcipue in sententia definitiva Matth. XXV. 41. in qua metaphorice eum intelligi non fit verosimile. Si quæras utrum hic ignis etiam spiritum sit cruciaturus? quidam putant, eum tanquam instrumentum ed esse elevandum, alii vero non certo satis hoc constare arbitrantur, cum ignis etiam ideo possit dici paratus spiritibus, ut sit eorum locus & carcer. Ignem vero hunc putant vel non egere pabulo, vel etiam conservari à DEO sine pabulo, eiqve vel vim consumendi corpora adimendam, vel etiam corpora damnatorum ita præparanda, ut à vehementia ignis præservari queant, cum & alia corpora v. g. asbestus à violentia ignis triumphant. Similiter putant fridorem illum dentium non tam oriurum è frigore, quam ex invidiæ calore & animi indignabundi excandescencia ut Actor. VII. 54. Tutius fuerit cum Gerhardo ex Augustino arbitrari, cujusmodi ignis infernalis futurus sit, hominem scire neminem, nisi cui Spiritus S, divinitus revelaverit, meliusq;

esse dubitare de occultis, quam litigare de incertis; præstabit, omni studio per veram & seriam conversionem de fugiendo igne infernali sollicitum esse, quam de natura illius ignis odio se & otiose digladiari. Vid. Gerhard. de Inf. S. 68. seq. quem sequitur Glassius Phil. lib. 5. sive in Rhetor. sacr. tr. 1. c. 10.

§. 15. Scriptura S. ut vehementiam cruciatuum infernalium eo melius nobis exprimat, uti solet locutionibus à rebus in sensus nostros incurrentibus, eosdemq; maximo dolore afficientibus desumptis. Hinc adhibet (1) verbum *ὀδυρμαί* Luc. XVI. 24. quod alias tribuitur dolentibus, de magno bono omisso Luc. II. 48. parturientibus Gal. IV. 19. (2) nomen *βίαια* Luc. XVI. 23. quod tribui solet inquisitioni per torturam & ejus cruciatibus, parturientibus etiam applicatur Apoc. XII. 2. (3) appellationem vermis rodentis Marc. IX. 44. &c.

§. 16. Uti deniq; beatorum felicitas etiam ex conversatione & habitatione angusta redditur illustrior, ita & damnatorum cumulo miseriarum non mediocre pondus adjicietur (1) ex tristissima cum aliis damnatis ipsisq; diabolis (quos nonnulli damnatorum tortores fore putant, aliis dubitantibus, eo quod Diaboli, tanquam autores peccati, gravius sint puniendi hominibus, cruciantis autem fors melior quodammodo videri queat, quam cruciatorum) consociatione, Matth. XXV. 41. (2) è varia malorum occurrentium facie Apoc. XX. 10. (3) ex habitatione, in qua tanquam carcere detinebuntur Matth. XXII. 13. Matth. V. 26. 2. Pet. II. 4. Judæ v. 6. quibus (4) alii addunt è conspectu flammæ in tenebris pergrassantis Matth. III. 12. Matth. XXV. 30.

§. 17. Quamvis vero stupendæ alias sint divitiæ misericordiæ divinæ, quia tamen tempus gratiæ proterve cum *κακοσυνεία* divina à damnatis fuit neglectum, poenæ damnatorum semper permanentium futuræ sunt æternæ. Tribuitur à quibusdam Origeni, quod statuerit has poenas tandem finem habituras. Idem tribuitur Anabaptistis quibusdam. Sed Pl. LXXVII. 8. agit de hac vita, Luc. XII. 48. agit de gradibus non duratione poenarum. Probatur vero æternitas poenarum ex igne inextincto Matth. III. 12. & æterno Matth. XXV. 41. supplicio æterno ib. v. 46. oppositè ad piorum vitam æternam, quæ finem nullum habebit, verme non moriente Marc. IX. 45. 46., exitio æterno 2. Thess. I. 9. cruciatu in omnem æternitatem Apoc. XX. 10. conf. Joh. V. à v. 28. Dan. XII. 2. Et quamvis quibusdam durius videatur peccatum finitum poena infinita vindicari ab ipsa justitia, cogitent tamen illi, commissâ esse contra infinitam Majestatem peccata, continuanda in infinitum, si homo in tali statu relictus fuisset, & conjuncta cum contemptu æterni præmii toties oblata vel propositi finali, nec unquam exuendo.
Exclu-

Excludet etiam hæc poenarum æternitas præter omnem finem (1) omnem interruptionem & requiem Marc. IX. 44. Apoc. XX. 10. (2) omne levamen & remissionem Luc. XVI. 24. conf. Zach. IX. 11.

§. 18. Interim in hac poenarum æternitate inæqualitas graduum locum præcipue quoad poenas sensus & positivas est habitura, Uti enim omnes damnati in aversione à DEO suere pares, in conversione ad malum disparēs; ita & omnes in poenis damni & privativis v. g. in privatione visionis beatificæ erunt æquales (quod etiam dicendum videtur de eontinuitate seu æternitate poenarum positivarum) sed in poenis sensus seu positivis erunt inæquales, & qui gravius aliis in DEUM peccarunt, eo graviora etiam sunt passuri supplicia ex tenore justitiæ divinæ gravitati delictorum gravitatem poenarum accuratissime attemperantis vid. Matth. X. v. 15. Luc. X. 12. item Matth. XI. 22. 24. Luc. X. 14. Luc. XII. 47. 48. Matth. XXIII. 14. 15.

§. 19. Quia vero damnati necessario futuri sunt alicubi, sequitur in certo quodam $\pi\tilde{s}$ damnatos has poenas æternas esse toleraturos, quod vocatur locus tormentorum Luc. XVI. 28. & à $\pi\tilde{s}$ beatorum clare distinguitur ib. v. 26. Ubi vero sit, tutius ignoratur, quam temerè adseritur, tacentibus hic Scripturis Sacris. Sine fundamento à quibusdam extra hoc universum constituitur, ab aliis intra hoc universum, nunc in aëre tenebricoso, nunc in profundo maris, nunc in loco subterraneo, nunc sub globo terræ, nunc in valle Josaphat. Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 6. quatuor circa centrum terræ comminiscitur distinctos sinus (1) limbum infantum sine baptismo decedentium & solam damni poenam sed æternam sentientium (2) limbum Patrum, qui poenam quidem damni, verum non æternam, sed tantum temporalem senserint (3) purgatorium in quo pro residuis peccatis satisfaciendum, sustinendo poenas & damni & sensus, sed tantum temporales (4) denique infernum in quo damnati poenas æternas & damni & sensus sint experturi in ipso centro terræ. Sed nullo hæc Scripturarum nituntur fundamento, quæ duo tantum loca habent vitæ æternæ, & cruciatuum, illum pro piis, hunc pro impiis. Frustra (1) infantibus Christianorum sine baptismo decedentibus vita æterna denegatur vid. Matth. IX. 13. Luc. XVIII. 16. saltem extraordinario modo obtinenda, si juxta Joh. III. 5. ordinariè non regenerentur, licet juxta Rom. V. 18. natura rei sint damnationis. (2) Patrum V. T. piorum animæ separatæ ilico in cælum migrarunt Ebr. XI. à v. 10. & mortui dicuntur beati Apoc. XIV. 13. ergo non in limbo Patrum fuerunt. Nec (3) purgatorium probatur ex 2. Macc. XII. 43. Apocrypho, nec pro interfectis, sed propter eos Sacrificia oblata, qui prorsus in peccato mortali mortui, adeoque juxta Pontificis ad infernum pertinebunt.


bunt. Tob. IV. 18. nulla mentio orationis pro defunctis aut remissionis peccatorum post hanc vitam, nec liberationis è purgatorio, sed agitur de funerali convivio quo omnino lugentes excipiebant. Nec 2. Sam. I. 12. jejunarunt ad juvandas animas è purgatorio. Psal. LXVI. 12. agitur de maximis periculis. Esa. IV. 4. de beneficio purgationis per baptismum & Verbum in hac vita, Zach. IX. 11. de redemptione ex inferno 1. Cor. III. 15. docetur, cum qui non utilem doctrinam superstruxit fundamento, oleum & operam perdidisse, salvandum tamen esse, quasi per ignem, id est, non sine terrore, (ut illi, qui ex incendio eripiuntur) cum ipse hactenus erraverit, & alios errare fecerit Apoc. V. 3. absolute negatur ullam creaturam arcana DEI de futuris consilia patefacere potuisse. Et (4) infernum in centro terræ locum non habiturum, colligitur ex eo, quod universum hoc, quoad substantiam sit interiturum, de quo alibi.

§. 20. Causa infligens pœnam damnationis, qua talis, est DEUS Matth. X. 28. 2. Theff. I. 6. & Christus executor voluntate consequente, iudexque Matth. XXV. v. 46. qui subtrahet influxum gratiæ, & ad lumen gloriæ, visionemque beatificam necessarium. Impulsiva interna est justitia DEI vindicativa. Externam constituunt peccata damnatorum non remissa, inter quæ eminent proæretica, & præcipue incredulitas finalis, quam differentiæ causa, à reliquis peccatis, quæ demeritoriè damnant, vocant causam damnationis formalem, & adæquatam, quod sola sufficiat damnationi, item immediatam, quod sola actu, proxime & immediate damnet.

§. 21. Subjectum quod constituunt homines finaliter increduli majori, quam salvandi, numero Matth. VII. 13, 14. Luc. XII. 32. Luc. XIII. 23. 24. subjectum quo faciunt anima & corpus horum damnatorum.

§. 22. Finis denique mortis & damnationis æternæ ex parte DEI, Judicis est demonstratio (1) justitiæ suæ vindicativæ in puniendis peccatis atque peccatoribus, qui oblatam gratiam contempserunt, & spatium longanimitatis divinæ elabi siverunt 2. Theff. I. 6. 8. & 9. Rom. II. 5. Apoc. XIX. 1. 2. 3. (2) veracitatis in comminando Apoc. XXI. 5. 8. (3) potentiæ suæ omnibus prævalentis Apoc. XIX. 1. 2. Theff. I. 9. Ex parte damnatorum autem ut promeritas luant pœnas in æternum.





Excludet etiam hæc poenarum æternitas præter omnem finem interruptionem & requiem Marc. IX. 44. Apoc. XX. 10. (1) men & remissionem Luc. XVI. 24. conf. Zach. IX. 11.

§. 18. Interim in hac poenarum æternitate inæqualitas cum præcipue quoad poenas sensus & positivæ est habitura, in damnati in aversione à DEO fuere pares, in conversione ad res; ita & omnes in poenis damni & privativæ v. g. in privativæ crunt æquales (quod etiam dicendum videtur de eternitate poenarum positivarum) sed in poenis sensus seu positivæ quales, & qui gravius aliis in DEUM peccarunt, eo graviora erunt supplicia ex tenore justitiæ divinæ gravitati delictorum graduum accuratissime attemperantis vid. Matth. X. v. 15. Luc. Matth. XI. 22. 24. Luc. X. 14. Luc. XII. 47. 48. Matth. XXI.

§. 19. Quia vero damnati necessario futuri sunt alicubi certo quodam modo damnatos has poenas æternas esse toleraturi locus tormentorum Luc. XVI. 28. & à beatorum clarioribus v. 26. Ubi vero sit, tutius ignoratur, quam temerè adscribi hic Scripturis Sacris. Sine fundamento à quibusdam extra constituitur, ab aliis intra hoc universum, nunc in aëre tenebrarum profundo maris, nunc in loco subterraneo, nunc sub globo valle Josaphat. Bellarminus lib. 2. de Purg. c. 6. quatuor terræ comminiscitur distinctos sinus (1) limbum infantum succedentium & solam damni poenam sed æternam sentientium (2) purgatorium, qui poenam quidem damni, verum non æternam, sed temporalem senserint (3) purgatorium in quo pro residuis peccatis sustinendo poenas & damni & sensus, sed tantum temporis in quo damnati poenas æternas & damni & perturi in ipso centro terræ. Sed nullo hæc Scripturarum monumento, quæ duo tantum loca habent vitæ æternæ, & crucis pro piis, hunc pro impiis. Frustra (1) infantibus Christianorum modo decedentibus vita æterna denegatur vid. Matth. IX. 13. (2) saltem extraordinario modo obtinenda, si juxta Joh. III. 5. regenerentur, licet juxta Rom. V. 18. natura rei sint damnatum V. T. piorum animæ separatæ ilico in cælum migratur v. 10. & mortui dicuntur beati Apoc. XIV. 13. ergo non in fuerunt. Nec (3) purgatorium probatur ex 2. Macc. XII. 10. pho, nec pro interfectis, sed propter eos Sacrificia oblata peccato mortali mortui, adeoque juxta Pontificis ad inf.

